



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 15.

Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.

QUESTIO I.

Quæ abominatio desolationis?

§. 1. Danielis 9. locum exposui, pauca nunc ad eam. Syrus vocat *מִנְחָהּ הַחַדְשָׁה* athachane phtha dechareba. Signum immundum v. g. *figurat.* Quod Christus dicit in loco sancto, 70. In templo, apud Danielem est in Hebræo *בְּמִקְדָּשׁ* super aliam. Sanctus autem dicitur à Daniele qui fuerit, quique sanctus futurus erat: nam postquam profanatus erat, vix sanctus vocari merebatur.

Abominatio desolationis ad templi destructionem pertinet, ut ex Luca demonstrat Augustinus Epistola octogesima. Signa quæ in Evangelio futura prædicta sunt, sicut commemorat sanctitas tua, secundum Lucam, eadem sunt secundum Matthæum & secundum Marcum. Hinc tres narrat quæ dixerit Dominus, cum interrogatus esset à discipulis suis, quando futura essent, quæ de semper eversione prædixerat, & quod signum esset aduentus eius & consummationis seculi. Cum itaque signa dicat, quæ ad ista tria pertineant, id est, ad excidium illius civitatis: ad aduentum eius in corpore suo, quod est ecclesia, ad aduentum eius in capite ecclesie, quod est ipse: quod eorum signorum, ad quod horum trium referendum sit, diligenti consideratione cernendum est: ne forte quod pertinet ad eversioem Hierusalem ad finem seculi referendum putemus: aut e contrario, quod ad finem seculi pertinet affirmemus ad civitatis illius excidium pertinere, aut quod pertinet ad eius aduentum in corpore suo, quod est ecclesia dicamus pertinere ad eius aduentum novissimum in corpore suo, quod est caput Ecclesie: aut rursus quod pertinet ad aduentum eius novissimum, per se ipsum ad eum pertinet ad eversioem aduentum, qui est per Ecclesiam. In quibus omnibus sunt quedam manifesta, quedam vero sic obscura, ut vel laboriosum sit ea diiudicare, vel temerarium, quamdiu non intelliguntur, de his aliquid definire. Quis enim non videat ad illam civitatem pertinere, quod dictum est: Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius. Item quis non videat ad aduentum Domini novissimum pertinere quod dictum est: Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei?

§. 2. Nihilominus tamen etiam de Antichristo locutum dominum Hieronymus tradit, cap. 25. Sequitur deinde & iudicium aduentus futuri (quando nimirum Christus ad iudicium veniet) cum abominationem desolationis stantem in loco sancto videbunt: tunc claritatis reditum investigandum. Et de hoc quidem, beatissimo Daniele & Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem: de Antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dicta, quod adversus Deum veniens honorem sibi Dei vindicat. Desolationis autem abominatio; quia bellis & castris terram cum piaculo desolaturus sit: atque ob id à Iudeis susceptus loco sanctificationis insisteret, ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit. Eadem est etiam Bedæ sententia.

Alii abominationem desolationis ipsam desolationem vastatricem interpretantur, ut sit abominanda, vel abominabilis desolatio: sed causam illi, unde illa sit considerant. Alii statuant vastationis, ut Aquilam, ab Herode collocatum, signa Romana, exercitum Romanum, quod etiam Chrysostomus probabile arbitrat, sed templo exciso tum primum ille ibi steterit, & cum excidit. at apud Lucam egredi iubentur cum viderint abominationem desolationis. alii ad statum Adriani, ut Ambrosius in Lucam, referunt. Eam desolationem esse non dubito, quæ à seditionis facta est, cum templum occuparunt, ut Ioseph. lib. 18. ant. & lib. 2. belli, cæde sacerdotum, & omni flagitiorum genere templum profanatum, & vere proprieque est factum spelunca latronum. Ma oramen olim erit eodem in loco abominatio desolationis, cum in eo restaurato sedebit Antichristus. Ita 2. Thessal. 2. In templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus, ac tum magna quoque erit tribulatio.

QUESTIO II.

Cui dicat: Qui legit, intelligat?

§. 1. Beza interpretatur, consideret. Græce est: *ὁ ἀκούων, intelligat, cognoscat.* Hoc enim indicat: Danielem à multis legi, non intelligi, quocirca crebro prætare ne legi quidem; errabant enim veteres Iudei non intelligentes scripturas. Errant hodieque hæretici, ex Daniele, & aliis fingentes sibi Antichristos, quos scriptura non continet, sed ipsi sibi ex malefano cerebro fabricantur, atque hinc condiscimus in rebus gravissimis scripturam esse ita difficilem, & obscuram, ut legentibus obvia non sit, & lectorem elaborare oporteat, ut quod legit, intelligat. Quomodo autem intelligat? Non ex alio: um locorum collatione, non enim ab aliis illa clarius exposita sunt, quæ Daniel propheta. Hic igitur deficit collatio scripturarum. Opus igitur est, ut à Deo, ab Ecclesia veteri petat explicationem, cum prius auctoritatis non sit explicatio scripturæ. Itaque ridiculus est Vostius in Tesseradecade Antipistoriana, cum dicit: [Necesse est ut inde pendeat vera scripturæ interpretatio, unde eiusdem pendet auctoritas, siue certitudo ac veritas: cum verus demum scripturæ sensus sit, ipsa scriptura. Quare qui penitus mihi persuadere potest, scripturam hanc esse *ἑρμηνείαν*, idem, quæ sit germana & vera scripturæ sententia, penitus mihi persuadeat necesse est. Illud vero externam quidem rationem facit, ipsa sacra scriptura, ipsa diligenter secum collata. Internam vero rationem Spiritus sanctus in ipsa scriptura loquens.] Fallitur vehementer, & fallit. Certum nobis est, caput novum Danielis esse veram *ἑρμηνείαν* scripturam: quæ vera, & germana sit sententia, non potest certum esse Vostio: nam ut de interna ratione taceam, quem ille sibi tribuere debet, nos negare cogimur: Externa hic illi deficit, non enim diligenter conferte potest, hanc scripturam cum alia, quæ clarissime dicat, quod obscurius Daniel effatus est, seu angelus Danieli. Nec Daniel qui asseuerat intelligentiæ esse in visione, verba angeli cum alia scriptura contulit, ut ea intelligeret, sed nec illa Ecclesia quæ fuit Danielis tempore, quæque deinde secuta est, & custos fuit non modo literarum, sed etiam sententiæ Danielis, ex collatione sensum prophetiæ venari potuit; sed ex Daniele primum eius familiares, & sacerdotes, deinde ex illis Ecclesia intellexit: aut sane vnum ex tota scriptura locum nominent, quocum illi veteres conferre verba Danielis potuerint, ut intelligerent. Verum autem idemque in Ecclesia fuit medium

Desolatio.

Intelligentia opus est in lectione.

Modus intelligendi.

Scriptura sensus est sensus.

Collatio non sufficit.

*Scriptura
non est suus
sensus.*

mediū quo scriptura intelligitur, nempe interpretatio Ecclesiae. Hoc vetes illi vti sunt, & nobis quoque utendum est. Quod vero ait; *Scriptura sensus est ipsa scriptura*; etsi improprie dicatur, & putida argutia sit; examinabo tamen. *Scriptura ipsa est scriptura sensus*. Multiplex potest sententia. Prima: Vna scriptura pars est alterius sensus: hoc est, continet significationem alterius partis. Hoc etsi crebro fit, non in omnibus tamen fit; non enim quaecunque ad religionis, & fidei dogmata pertinent, bis dicuntur. Altera: Scriptura id quod significat, id significat, ut cum dicitur, Deus vnus est. Hoc adeo clarum est, ut expositio aliunde non petatur. Hoc tamen modo si haereticis interpretentur; dicent vnum essentia, & persona. Ideoque concertationes oriuntur. Quod si tertiam adferant expositionem: Nempe scriptura secum adfert sensum, ut aliunde non sit petendus; hoc quoque anceps est, & quocunque sensu falsum: quod experientia tot interpretum demonstrat. Deinde ipse

*Media cognoscenda
scriptura.*

Vorstius de mediis despicit. i. p. ad 6. sect. pag. 217. [Primum enim non dicimus, singula haec media per se seorsim accepta; ad inuestigandum scripturae sensum non sufficere: sed omnia simul coniuncta plurimum huc valere contendimus.] Omnia igitur media adhibenda sunt, & non tamen illa sufficientia dicere audent, sed plurimum valere. At tum sine paucissimorum est ea felicitas, vt legere scripturas & intelligere possint. Verba Vorstiana hoc conuincunt. *Haec autem sunt media*; inquit Tesserad. i. Antipist. i. Inspecio fontium, seu cognitio originalium linguarum, & peculiarium scripturae phrasum. Haec necessaria ergo est omnibus scripturam intellecturis, omnia enim media sunt necessaria. Non igitur nisi Hebraeae, Chaldaeae, Graecae linguae bene periti, & phrasum gnari, scripturam intelligunt. Frustra eam alia in lingua legunt, non enim illis constat, interpretem aut illos fontes penitus lustrasse, aut omnia vere retulisse. Cum enim toti Ecclesiae scripturae sensum exponenti non credant, quomodo Bezae, Iunio, Tremellio, aliis credunt totam in alias linguas transferenti? Qui igitur eas linguas, earumque idiomata, & phrasas non calant, non recenti memoria tenent, non à fide dignis magistris didicerunt, & scripturam se intelligere iactant, eorum principis conuincuntur; hoc agere ut cum ratione insistant. Pergit ille. *Collatio locorum scripturae, tum similium, tum dissimilium*. Hic quoque non alteri collatori, qui errare potuit, sed propriis oculis, ac menti credendum, certoque statuendum, nullum locum qui collationi necessarius fuerit, vel negligentia vel obliuione, vel ignorantia omissem.

*Haereticis
scripturae est
obscura.*

3. Consideratio scopi, inquit, item occasionis, & circumstantiae, siue materiae cuique loco subiectae. Parum ad rem facit consideratio. Certo constare tibi oportet scopum, occasionem, circumstantias, materias subiectas cognitae tibi penitusque perspectas esse: nec fieri posse, ut aliter illa se habeant; alioqui aliquo horum ignorato, falli in scripturae sensu posses. Nemo igitur Calvinianorum scripturam intelligit, nisi illa omnia ita considerauerit, ut penitus per- uiderit.

Analogia.

4. Analogia indubitate fidei. At vero illa tam varia est, quam variae fides, v. g. Fides indubitata est in Caluismo: Christum hominis damnati dolores pertulisse; ad hanc normam scripturas detorqueant; Hinc voces desperationis in cruce protulisse blasphemant. Analogia enim est, qua scripturam, & Spiritum sanctum in ea loquentem, sub magisterium suum cogere nituntur, ut nihil aliud dicere videatur, nisi quod anteoccupatis eorum opinionibus consentaneum videtur.

5. Denique seria ad Deum precatio, ex animo verita-

ta & gloria diuina studiose profecta. Hanc vel maxime nobis scriptura, & sancti Patres commendant. Hinc factum, ut multi sanctorum *prophetae* à Deo docti, citra laboriosa studia scripturarum cognitionem transierint. De haereticis, & oratione eorum, nec ipsi tibi credere possunt: cum tot martyrum, confessorumque millia suis orationibus nihil impetrasse iudicent, omnes enim illos grauium errorum, aut plurimos sine acculant. Denique non possunt vnum è suis producere, in quem haec omnia conuenire certi sint, nullum ergo tuto sequi possunt. Sibi igitur quisquis dicit, & auctor est, aliorum securus. Atque hoc est, quod de priuato spiritu, cum premuntur, iactare audent.

VERSUS 16. 17. 18.

Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suo: & qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam.

QUESTIO I.

Qua fuga persecutionis suadetur?

S. 1. QVANTÀ atrocitate seuituri sint Romani Dominus praemonendo demonstrat. *Fugiant ad montes*. Syrus sua phrasi *ἄγουντες* ad montem. Montes quidem, & in illis posita oppida Titus expugnauit, & ante Vespasianus, ut Thabor, Garizim; sed alioquin Christus ad consuetudinem eorum, qui sunt in petculis constituti, qui auiam montium, & sylvarum incessa petunt, nec ad cultos montes, & in quibus oppida exstructa sunt fugere hortatur, sed in asperos & solos montes. Abulensis de montibus, in quibus Agrippa regnauit, is enim Romanorum amicus fuit, multique sub eo, sed non longo tempore defuncti sunt; Pellae autem eius ditionis oppido Christiani tuerunt. Nam post obidionem, & fugam Cestianam Christi anni plerique, & Iudaeorum nobiles de rebus rebellium male sperantes discesserunt. Vide Epiphan. haeres. 29. & 30. Euseb. lib. 3. c. 5.

S. 2. Versu 17. celeritatis admonet; audito enim aduentu exercitus, & occupato à seditionis templo, vetat eum, qui est in tecto (quod in Iudaea planum) descendere, ut auferat aliquid de domo, *ἀγειν τι*, vel ut alii *ἀγειν*, auferre aliquid. Graece *τι* & *ἀγειν*, super domum.

Et versu 18. eum qui est in agro non redire in urbem, ad accipiendam tunicam *τὴν ἱμᾶτον*, quod alii pallium dicere malunt, alii legunt *τὴν ἱμᾶτα* vestes, sine tunica, & pallio, leuiore, & breuiore vestitu ibitur in agrum. Fugere porro celeriter iubet, ne ab exercitu deprehendantur, quod Iudaeis contigit; itaque non assentior Tostato; qui negat requiri à Christo tam magnam festinationem: quod quamuis dici possit, ea tamen contigerunt, ut omni modo celeriter abeundum fuerit. Nam non minora, nec minora passi sunt à seditionis, quam ab Romanis, adeo ut Iudaeorum 20000. indignitate rerum moti discesserint. Latronum princeps erat Geiora, Zelotarum Ioannes, alterius factionis Eleazarus, qui non nisi magna pecunia exitum permittebant. Deinde noluit Christianos decipi Dominus, ut Iudaei sunt in iudaeam induci. Anno enim 72. Titus Caesarem missus est, ut bellum Iudaicum prosequeretur, ut Iosephus lib. 5. cap. 14. recenset, & lib. 6. cap. 1. 2. 3. 4. 5. Iudaei enim existimabant, rebus male pacatis, Vespasianum